

*Stone-hen-*  
*ge.*

Septentriones versus ad vi plus minus à Sariburia millaria, in illa planicie, insana (ut Ciceronis verbo utar) conspicitur substructio. Intra fossam enim ingentia, & rudia saxa, quorum nonnulla xxviii pedes altitudine, vii latitudine colligunt, coronæ in modum triplici serie eriguntur, quibus alia quasi transversaria, sic innuntuntur, ut pensile videatur opus: unde Stonehenge nobis nuncupatur, uti antiquis historicis *Gigantum Chorea* à magnitudine. Ejus vero qualemcumque delineationem cum verbis satis commode exprimi non potest, inferius post Alexandri Nechamii versus opera sculptoris subjungendam curavi.

*Saxa fa-*  
*citia.*

Hoc in miraculorum numerum referunt nostri. Unde vero ejusmodi saxa allata fuerint, cum tota regione finitima vix strunctiles lapides inveniantur, & quanam ratione subrecta, demirantur. De his non mihi subtilius disputandum, sed dolentius deplorandum oblitteratos esse tantum monumenti authores. Attamen sunt qui existimant saxa illa non viva esse, id est, naturalia & excisa, sed factitia ex arena pura, & unctuoso aliquo coagmentata: quemadmodum illa tropæa quæ in Eboracensi agro vidimus. Et quid mirum? Nonne apud Plinium legimus, pulvrem Puteolanum fluctibus mersum protinus fieri lapidem? & cisternas Romæ ex arena fossitiae, & calce vehementissima ita constructas, ut lapides videantur; Statuasque è marmororum crustu-

lis tanta firmitudine coagmentatas, ut ex solido marmore judicentur. Fama obtinet, Ambrosium Aurelianum, sive Utherum ejus fratrem in Britannorum memoriam qui ibi Saxonum dolo, in colloquio ceciderunt, illa Merlini Mathematici opera posuisse. Unde Alexander Nechamus medii temporis Poëta, poëtico ostro percitus, sed non Apolline plenus, ex Britannica Galredi historia sic lusit,

Nobilis est lapidum structura, Chorea Gigantum,  
Ars experta suum posse, pergit opus.  
Quod ne prodiret in lucem segnus, artem  
Se, viresque suas consuluisse reor.  
Hoc opus adscribit Merlino garrula fama,  
Filia figmenti fabula vana refert.  
Illa congerie fertur decorata fuisse  
Tellus, qua mittit tot Palamedis aves.  
Hinc tantum munus suscepit Hibernia gaudens,  
Nam virtus lapidi cui libet ampla satis.  
Nam res persus aquis magnam transfundit in illa  
Vim, queis curari sepius ager eget.  
Uther Pendragon molem trans vexit ad Ambri  
Fines, devicto victor ab hoste means.  
O quot nobilium, quot corpora sacra virorum,  
Illic Hengisti proditione jacent!  
Intercepta fuit gens inclita, gens generosa  
Intercepta, nimis credula, cauta minus.  
Sed tunc enituit præclari Consulis Eldol  
Virtus, qui letho septuaginta dedit.



Alii produnt Britannos hoc quasi magnificum  
sepulchrum eidem Ambrosio substruxisse eo lo-

ci, ubi hostili gladio ille periit, ut publicis operibus contectus esset, eaque exstructione, quæ sit  
M m 2 ad